

impuri cujusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quoniam enim modo quisquam amicus esse poterit, cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tanquam ansas ad reprehendum; rursus autem recte factis, commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere. Quare hoc quidem præceptum, cujuscumque est, ad tollendam amicitiam valet. Illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitii comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in diligendo fuisset, ferendum id Scipio potius, quam inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

XVII. His igitur finibus utendum arbitror, ut, quum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione communitas: ut, etiam si qua fortuna acciderit, ut minus justæ amicorum voluntates adjuvandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudine sequatur. Est enim quatenus amicitia dari venia possit. Nec vero negligenda est fama: nec mediocrem telum ad res gerendas existimare oportet benivolentiam civium;

quam blanditiis, et ¹ assentando colligere turpe est. Virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est.

Sed sæpe (etenim redeo ad Scipionem, cujus omnis sermo erat de amicitia) querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent; ut capras et oves quot quisque haberet, dicere posset; amicos quot haberet, non posset dicere: et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes esse; nec habere quasi signa quædam, et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, judicarent. Sunt igitur firmi, et stabiles, et constantes eligendi; cujus generis est magna penuria: et judicare difficile est sane, nisi expertum. Experiendum autem est in ipsa amicitia. Ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi potestatem. Est igitur prudentis, sustinere, ut currum, sic impetum benivolentiæ: quo utamur, quasi equis ² tentatis, sic amicitii, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam sæpe in parva pecunia perspicuntur, quam sint leves; quidam, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitia, sordidum existimant: ubi eos invenimus, qui honores, magistra-

¹ Assectando. ² Temperatis.

tus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant? ut, quum ex altera parte proposita haec sint, ex altera jus amicitiae, non multo illa malint? Imbecilla enim natura est ad contemnendam potentiam; quam etiam si neglecta amicitia consecuti sunt, obscuratum iri¹ arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta amicitia. Itaque verae amicitiae difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates? ad quas non est facile inventu qui descendat. Quanquam Ennius recte:

Amicus certus in re incerta cernitur:

tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt; aut si in bonis rebus contemunt, aut in malis deserunt. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus, et paeae divino.

XVIII. Firmamentum autem stabilitatis, constan-

¹Alii, se arb. *Wetzel*, ex ed. *Rom.* excusatum iri se a. *Sed aliud quid latet.*

tiaeque ejus, quam in amicitia quaerimus, fides est. Nihil enim stabile est, quod infidum est. Simplicem praeterea, et communem, et consentientem, qui rebus iisdem moveatur, eligi par est; quae omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium, et tortuosum. Neque vero, qui non iisdem rebus movetur, et natura consentit, aut fidus, aut stabilis potest esse. Adendum eodem est, ut ne criminibus, aut inferendis delectetur, aut credat oblati; quae omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse. Est enim boni viri (quem eundem sapientem licet dicere) haec duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit, neve simulatum; aperte enim vel odisse, magis ingenui est, quam fronte occultare sententiam. Deinde, non solum ab aliquo allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum. Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia autem, et in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet, et liberior, et dulcior, et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. Existit autem hoc loco quædam quæstio subdifficilis: num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponeere solemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetustatem ferunt) esse debent suavissima; verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitia minus expletum sit. Novitates autem, si spem afferunt, ut, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat, non sunt illæ quidem repudiandæ: vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis: ut in ipso equo, cujus modo mentionem feci, si nulla res impediât, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo; nec modo in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quæ sunt inanimata, consuetudo valet, quum locis etiam ipsis montuosis delectemur et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus. Sed maximum est in amicitia, superiorem parem esse inferiori. Sæpe enim excellentiæ quædam sunt: qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, rege. Nunquam se ille Philo, nunquam Rupilio, nunquam Mummio anteposuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem, egregium vi-

rum, omnino sibi nequaquam parem, quod is antequam ætate, tanquam superiorem colebat, suosque omnes per se esse ampliores volebat. Quod faciendum, imitandumque est omnibus; ut, si quam præstantiam virtutis, ingenii, fortunæ consecuti sunt, impertiant ea suis, communicentque cum proximis; ut, si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortuna, eorum augeant opes, eisque honori sint, et dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerint, quum cogniti sunt, et aut deorum aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt. Quod quidem est multo profecto magis in veris patribus, certisque faciendum. Fructus enim ingenii, et virtutis, omnisque præstantiæ, tum maximus capitur, quum in proximum quemque confertur.

XX. Ut igitur ii, qui sunt in amicitia conjunctionisque necessitudine superiores, exæquare se cum inferioribus debent: sic inferiores non dolere, se a suis aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper aliquid, aut etiam exprobrant; eoque magis, si habere se putant, quod officiose, et amice, et cum labore aliquo suo factum queant dicere. Odi-

sum sane genus hominum, officia exprobrantium : quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. Quamobrem ut ii, qui superiores sunt, summittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores extollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, quum ipsi se contempni putant : quod non fere contingit, nisi iis, qui etiam contemnendos se arbitrantur ; qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt. Tantum autem cuique tribuendum, primum, quantum ipse efficere possis ; deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, sustinere. Non enim tu possis, quantumvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere : ut Scipio P. Rupilius potuit consulum efficere, fratrem ejus Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere.

Omni amicitia, corroboratis jam confirmatisque et ingenii, et ætatis, judicanda sunt ; nec, si qui inenite ætate venandi, aut pilæ studiosi fuerint, eos habere necessarios oportet, quos tum eodem studio præditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices et pædagogi jure vetustatis plurimum benivolentiæ postulabunt : qui negligendi quidem non sunt, sed alio quodam modo colendi ; aliter amici-

tiæ stabiles permanere non possunt. Dispare enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias : nec ob aliam causam ullam boni, improbis, improbi, bonis amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia. Recte etiam præcipi potest in amicitia, ne intemperata quædam benivolentia (quod sæpe fit) impediatur magnas utilitates amicorum. Nec enim, ut ad fabulas redeam, Trojam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter suum impediendum, audire voluisset. Et sæpe incidunt magnæ res, ut discedendum sit ab amicis : quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et infirmus est, mollisque natura, et ob eam ipsam causam in amicitia parum justus. Atque in omni re considerandum est, et quid postules ab amico, et quid patiæ a te impetrari.

XXI. Est etiam quasi quædam calamitas in amicitia dimittendis nonnunquam necessaria : jam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur. Erumpunt sæpe vitia amicorum quum in ipsos amicos, tum in alienos ; quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitia sunt remissione usus eluenda, et

(ut Catonem dicere audivi) dissuendæ magis, quam discindendæ: nisi quædam admodum intolerabilis injuria exarserit, ut neque rectum, neque honestum sit, neque fieri possit, ut non statim alienatio disjunctioque faciendâ sit. Sin autem morum, aut studiorum commutatio quædam, ut fieri solet, facta erit, aut in reipublicæ partibus dissensio intercesserit (loquor enim jam, ut paullo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiiis), cavendum erit, ne non solum amicitia depositæ, sed inimicitia etiam susceptæ videantur. Nihil enim est turpius, quam cum eo bellum gerere, quicum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeii meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio; propter dissensionem autem, quæ erat in reipublica, alienatus est a collega nostro Metello. Utrumque egit graviter, auctoritate, et offensione animi non acerba. Quamobrem primum dandâ opera est, ne qua amicorum discidia fiant; sin tale aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitia, quam oppressæ esse videantur. Cavendum vero est, ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitia; e quibus jurgia, maledicta, contumelia gignantur. Quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt, et hic honos veteri amicitia tribuendus est, ut is in culpa sit, qui faciat, non qui patiatur injuriam, Omnino omnium horum vitiorum atque

incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos.

Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa, cur diligantur. Rarum genus (et quidem omnia præclara rara), nec quidquam difficilius, quam reperire, quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, nisi quod fructuosum sit; et amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. Ita pulcherrima illa, et maxime naturali carent amicitia, per se, et propter se expendenda; nec ipsi sibi exemplo sunt, hæc vis amicitia qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipse mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi quisque carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur. Est enim is quidem tanquam alter idem. Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se ipsæ diligant (id enim pariter cum omni animante nascitur); deinde, ut requirant atque appetant, ad quas se applicant, ejusdem generis animantes; idque faciunt cum desiderio,

1 Lallam. post Grævium, indignos.

et cum quadam similitudine amoris humani : quanto id magis in ¹ homine fit natura, qui et se ipse diligit, et alterum anquirit, cujus animum ita cum suo ² misceat, ut efficiat pæne unum ex duobus?

XXII. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipsi esse non possunt; quæque ipsi non tribuunt amicis, hæc ab iis desiderant. Par est autem, primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui querere. In talibus ea, quam jamdudum tractamus, stabilitas amicitiae, confirmari potest : quum homines benivolentia conjuncti, primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde æquitate, justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet, neque quidquam nunquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit; neque ³ solum se colent inter se, ac diligunt, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adjuvans a natura data est, non vitiorum comes : ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quæ summa sunt,

¹ Hominis sit natura. ² Commisceat. ³ Solum colent.

pervenire, conjuncta et consociata cum altera perveniret; quæ si quos inter societas aut est, aut fuit, aut futura est, eorum est habendus ad summum naturæ bonum optimus beatissimusque comitatus.

Hæc est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quæ putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas : ut, quum hæc adsint, beata vita sit, et sine his esse non possit. Quod quum optimum, maximumque sit; si id volumus adipisci, virtuti opera danda est : sine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam consequi possumus. Ea vero neglecta, qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, quum eos gravis aliquis casus experiri cogit. Quocirca (dicendum est enim sæpius) quum judicaveris, diligere oportet; non quum dilexeris, judicare. Sed quum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis et deligendis, et colendis. Præposteris enim utimur consiliis, et acta agimus, quod vetamur veteri proverbio. Nam implicati ultro et citro, vel usu diuturno, vel etiam officii, repente in medio cursu amicitias, exorta aliqua offensione, dirumpimus. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariæ tanta incuria.

XXIII. Una est enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore consentiant. Quan-

quam a multis ipsa virtus contemnitur, et venditatio quædam atque ostentatio esse dicitur. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat. Honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemunt, ut nihil inanius, nihil levius esse existiment? Itemque cetera, quæ quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rempublicam se contulerunt; et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur; et ii, qui suum negotium gerunt otiosi; postremo, ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam sentiunt, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. Serpit enim, nescio quomodo, per omnium vitas amicitia; nec ullam ætatis degendæ rationem patitur esse expertem sui. Quin etiam si quis ea asperitate est, et immanitate naturæ, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus: tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suæ. Atque hoc maxime judicaretur, si quid tale posset contingere; ut aliquis nos dens ex hac hominum frequentia tolleret, et in solitudine uspiam collocaret, atque ibi suppedans omnium

rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam, hominis omnino adspiciendi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus, qui eam vitam ferre posset, cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? Verum ego illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum, nostros senes commemorare audivi, ab aliis senibus auditum: Si quis in cælum ascendisset, naturamque mundi, et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore; quæ jucundissima fuisset, si aliquem, cui narret, habuisset. Sic natura solitarium nihil amat, semperque ad aliquod tanquam adminiculum amittitur: quod in amicissimo quoque dulcissimum est. Sed quum tot signis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, ac desideret: absurdescimus tamen nescio quomodo; nec ea, quæ ab ea monemur, audimus.

XXIV. Est enim varius et multiplex usus amicitia; multæque causæ suspicionum offensionumque dantur; quas tum evitare, tum ¹ elevare, tum ferre, sapientis est. Una illa sublevanda offensio est, ut et ² veritas in amicitia, et fides retineatur. Nam et monendi amici saepe sunt, et

¹ Gulielm. conj. eluere. ² Ernest. utilitas.

objurgandi; et hæc accipienda amice, quum benivole fiunt. Sed nescio quomodo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium; quod est venenum amicitiae: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo est, qui et veritatem asperratur, et in fraudem obsequio impellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio et diligentia est: primum, ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat; in obsequio autem (quoniam Terentiano verbo lubenter utimur) comitas adsit; assentatio, vitiorum adjuvatrix, procul amoveatur: quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna est. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cujus autem aures veritati clausæ sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, ut multa: Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur; illos verum sæpe dicere, hos nunquam. Atque illud absurdum est, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se non anguntur,

objurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. Ut igitur et monere, et moneri, proprium est veræ amicitiae; et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnantem: sic habendum est, nullam in amicitiiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. Quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Quum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat), tum amicitiae repugnat maxime. Delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest. Nam quam amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim potest esse tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis, nego: ait, aio. Postremo imperavi egomet mihi, Omnia assentari,

¹ Grav. conj. tenerum.

ut ait idem Terentius: sed ille sub Gnathonis persona; quod amici genus adhibere, omnino levitatis est. Multi autem Gnathonum similes quum sint, loco, fortuna, fama superiores: horum est assentatio molesta, quum ad vanitatem accessit auctoritas. Secerni autem blandus amicus a vero, et internosci, tam potest, adhibita diligentia, quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. Concio, quæ ex imperitissimis constat, tamen judicare solet, quid intersit inter popularem, id est, assentatorem et levem civem, et inter constantem, severum, et gravem. Quibus blanditiis C. Papius nuper influebat in aures concionis, quum ferret legem de tribunis plebis reficiendis? Dissuasimus nos. Sed nihil de me; de Scipione dicam libentius. Quanta illa, dii immortales! fuit gravitas? quanta in oratione majestas? ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres. Sed affuistis; et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque, ut ad me redeam, meministis, Q. Maximo, fratre Scipionis, et L. Mancino consulis, quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur? Cooptatio enim collegiorum ad

¹ Lambinus delendum putabat Terentius. Male; nam post Terentium jam laudavit Catonem.

populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat. Atque id actum est prætore me, quinquentio ante, quam consul sum factus. Itaque re magis, quam summa auctoritate, causa illa defensa est.

XXVI. Quod si in scena, id est, in concione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet (si modo id patefactum et illustratum est), quid in amicitia fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua nisi (ut dicitur) apertum pectus videas, tuncque ostendas, nihil fidem, nihil exploratum habeas: ne amare quidem, aut amari; quum id, quam vere fiat, ignores. Quanquam ista assentatio, quamvis pernicio sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur, et se maxime ipse delectet. Omnino est amans sui virtus. Optime enim se ipsa novit, quamque amabilis sit, intelligit. Ego autem

¹ Gulielm. adjecit vocem summa e mss. suis, quibus accedunt Palat. omnes, et plerique Aldini. Schütz tamen revocavit codd. nonnullorum et edd. vet. lectionem, ubi vox ommissa est. Sensus forte non vidit, quem nos perspicuum esse putamus.

non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinionone. Virtute enim ipsa non tam multi præditi esse, quam videri volunt. Hos delectat assentatio; his fictus ad ipsorum voluntatem sermo quum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur hæc amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentendum paratus est. Nec parasitorum in comædiis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.

¹ Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere, « Magnas; » Ingentes, » inquit. Semper auget assentator id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Quamobrem, quamvis blanda ista vanitas apud eos valeat, qui ipsi illam allectant et invitant: tamen etiam graviore constantioresque admonendi sunt, ² ut animum advertant, ne callida assentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. Callidus ille et occultus ne se insinuet, studiose cavendum est. Nec

¹ Terent. Eunuch. III, 1, 1. ² Palat. sec. ut animum advertant, non prorsus inepte, quamvis præstet vulgata lectio.

enim facillime agnoscitur, quippe qui etiam adversando sæpe assentetur, et litigare se simulans, blandiatur, atque ad extremum det manus, vicique se patiat: ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius, quam illi? Quod ne accidat, magis cavendum est, ut in Epiclero:

Hodie me ante omnes comicos stultos senes
Versaris, atque luseris lautissime.

Hæc enim etiam in fabulis stultissima persona est improvidorum et credulorum senum. Sed nescio quo pacto ab amicitiiis perfectorum hominum, id est, sapientium (de hac dico sapientia, quæ videtur in hominem cadere posse), ad leves amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eaque ipsa concludamus aliquando.

XXVII. Virtus, virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias, et conservat. In ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quæ quum se extulit, et ostendit lumen suum, et idem aspexit, agnovitque in alio; ad id se admovet, vicissimque accipit illud, quod in altero est: ex quo eorum exardescit sive amor, sive amicitia. Utrumque enim dictum

¹ Al. defluxit.

est ab amando. Amare autem nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita. Quæ tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis. Hac nos adolescentes benivolentia senes illos L. Paullum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Tib. Gracchum, Scipionis nostri socerum, dileximus. Hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me, et Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummiu. Vicissim autem senes in adolescentium caritate acquiescimus; ut in vestra, ut in Q. Tuberonis: equidem etiam admodum adolescentis, P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata est vitæ naturæque nostræ, ut alia ætas oriatur; maxime quidem optandum est, ut cum æqualibus possis, quibuscum tanquam e carceribus emissus sis, cum iisdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quoniam res humanæ fragiles caducæque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur. Caritate enim, benivolentiaque sublata, omnis est e vita sublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quanquam est subito ereptus, vivit tamen, semperque vivet: virtutem enim amavi illius viri, quæ extincta non est. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus

habui; sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo inquam animo, aut spe majora suscipiet, qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet.

Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna, aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de republica consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. Nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem seuserim; nihil andivi ex eo ipse, quod nollem. Una domus erat, idem victus, isque communis; neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid, atque discendi, in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium conjunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa extincta sunt, alunturque potius, et augentur cogitatione et memoria; et si illis plane orbatus essem, magnum tamen afferret mihi ætas ipsa solatium: diutius enim jam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem breviter tolerabilia esse debent, etiam si magna sint.

Hæc habui, de amicitia quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia præstabilius putetis.

Q. CICERO

DE

PETITIONE CONSULATUS,

AD M. TULLIUM FRATREM.

I. Erst tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut usu homines, aut diligentia possunt: tamen amore nostro non sum arbitratus alienum; ad te perscribere ea, quæ mihi veniebant in mentem, dies ac noctes de petitione tua cogitanti; non ut aliquid ex iis novi adjicerem, sed ut ea, quæ in re dispersa atque infinita viderentur esse, ratione et distributione sub uno adspectu ponerentur. ¹Quanquam plurimum natura valet, tamen videtur in paucorum mensium negotio posse simulatio naturam vincere.

¹ Puteanus verba, Quanquam — vincere, quæ in veteri quodam libro ms. non invenit, hic aliena esse arbitratur, et transferre jubet in cap. 11, post favere videre. Falsa, ut mihi videtur, species et virum doctum fefellit, et post eum plurimos. Ernest. nihil de hac conjectura.